



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

Sexta Co[n]sideratio de peccatu nostris, quà sunt co[n]tra Christi D. N.
Redemptione[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-39652

minuere, & in infernum præcipitare, quod, cum facere nouerim, contere ipsemet cor tuum magna contritione, ego enim *cor contritum & humiliatum non despiciam*; ostendens verò coronam gloriæ, tibi dicat: iuxta meam iustitiæ rectitudinem, iam ob tua scelera coronam hanc amiseras: quam tamen hæcenus ex magna misericordia tua tibi reseruauit, cupiens, te ea gaudere, si pœnitentiam agas, & vitam emendes.

Quæ uerba ubi audieris profundè te supremo huic iudici prosterne: qui benignum ad eò Patrè se tibi præbet; gratiasq; ages maximas ob tot beneficia, dicens cum Dauide. *benedic anima mea Domino, & omnia que intra me sunt nomini sancto eius: benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redemit de interitu uitam tuam, qui coronat te in misericordia & misericordionibus.* Quomodo verò non censebitur *corona* misericordiarum, cuius nec sit initium, nec finis: siquidem ab ipsa æternitate uoluit te misericordijs replere: quibus etiam per totam æternitatem te coronare intendit? Quamobrem desleas peccata tua pœnitentia uera: ut reddat tibi **DEVS** *coronam* quam daturum se promissit ijs, qui cinere se operiunt.

*Sexta Consideratio de peccatis nostris, qua sunt contra Christi
D. N. Redemptionem.*

CONSIDERA imprimis, infinitam Dei Maiestatem, cum innumera hominum peccata & tua ipsius in illis cerneret, decreuisse, ex mera sua misericordia, fieri hominem, ut remedium illis afferret; quo remedio omnes admirandas suas perfectiones manifestaret; quas proinde omnes tu offendis, cum peccas: eadè uerò te ad dolendum & pœnitendum prouocât.

INFINITAM suam CHARITATEM ostendit PATER, a sic diligens mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat; sed habeat uitam æternam. Tu uerò ad eò fuisti malus, ut nec eum dilexeris, qui ad eò te dilexit; nec magnificeris donum ad eò pretiosum ab ipso tibi oblatum: sed illud reieceris: ut expleres quod tuo palato arridebat. Et licet Fide credas, & b *confitearis te nosse Deum*, quia tamen *factis eum negasti*, indignus factus es uita æterna.

IMMENSAM suam BONITATEM FILIUS ostendit, cum infinitam suam personam humanæ naturæ communicans, cum omnibus hominibus cõanguinitatem iniit: ut donis à se oblati eos deuinceret: & ipsi tanquã cognati ipsiusmet Dei incarnati ad ipsum accederent. Tu uerò ab hac nobilitate degenerasti, teque abieicisti, ut fieres peccati uile mancipium: potius honori tibi ducens, fieri filium Sathanæ, quam filium esse DEI, & Christi fratrem.

MISERICORDIAM suam manifestauit, compassus suorum inimico-

rum

c Psa. 50. 19
Mors & uita
in manibus
tuis.

3.

1 Psa. 102. 1.

Corona mi-
sericordie æ-
terna.

c Isa. 61. 3.

VI.

Deus redemptor.
1. Punctum

2.

a Ioan. 3. 16.
Patris charitas.

b Tit. 5. 16.

3.

Filij bonitas.

3.
Misericor-
dia.

rum miseriis eorumq; debita in se recipiens: vt exquilita, subiens tormenta, ea ipse exolueret, illi verò liberi manerent. Sed tu ad eò in eum durus fuisti, & crudelis; vt pro alleuiatione tanti oneris, nouis illud culpis auxeris, eum quodammodo cogens, ad nouos dolores tolerandos, si eorum esset capax; & ad noua subeunda tormenta, nisi quæ iam passus est, ad id sufficissent.

4.
Omnipotencia.

OMNIPOTENTIAM suam patefacit, dum res ad eò distantes, DEVM scilicet & hominem in vna persona coniunxit: vt omnes homines cum ipso per gratiam vnirentur; & tandem etiam vni ionem gloriæ assequerentur. Tu verò procul valdè ab eo te per superbiam separasti; eamque similitudinem, quam ille tibi offerebat, amisisti: vt eam indueres, quam serpens Eue obtulit, si prohibito sibi fructu vesceretur.

5.
Iustitia.

IUSTITIAM suam in eo ostendit, quòd noluerit ^{delicta} dicta absque pœna condigna relinqui impunita: ita tamen vt eadem pœna potès esset, ad culpe damna reparanda. Tu verò multiplicas nihilominus delicta, tanta contra diuinam Iustitiam irreuerentia, atque si huiusmodi solutio non præcessisset: dum, quod in te est, id efficis, pro quo non potest reddi æquale, nisi is reddat: qui DEVS sit & homo.

6.
Virtutes a
lia.

DENIQUE hic ostendit LIBERALITATEM & FORTITVDINEM, & infinitas suas virtutes: vt exemplum tibi præberet, quod imitaberis; & ea subsidia tibi compararet, quibus ad talia opera perficienda indigeres. Quæ tamen omnia tu peccando contemnis, nihili faciens exempla & auxilia, quæ tibi obtulit; nec labores: quos pro te suscepit. Quamobrem meritò existimabis, tuum peccatum esse maius, quàm fuerit *Demonum*. nam illud non fuit contra DEVM incarnatum; nec contra Iesu Christi redemptionem, qui nõ est pro illis mortuus: Tuum verò summam continet ingratiudinè, vt potè contra beneficium, quod non Angelis, sed solis hominibus fuit concessum. quod ad eò est præstans, vt par nullum habeat. Hæc omnia simul, & eorum singula te ad peccata tua vehementissimo dolore deslenda prouocant, eò quòd contra DEVM ad eò tibi beneuolum, tantumque tuum benefactorem, atque in supremo hoc beneficio apparet, sint facta,

2. Præsum.

CONSIDERA deinde licèt Christus D. N. quocunque actu suo sufficienter exolueret pro nostris peccatis, eò quòd fieret à Deo & homine, à quo illi valor infinitus proueniebat; voluisse tamen eam solutionem ac redemptionem fieri intensissimis doloris, ac tristitiæ actibus; nominatim ob nostra peccata; vt eo exemplo nos doceret, veram contritionem, eorumq; dolorem concipere, propterea nominatim, quòd essent contra infinitam Dei bonitatem, & innumera eius beneficia; ipsa enim ratio dicit, vt de propriis tuis peccatis ita tu doleas, sicut ipse doluit de alienis. Aspice itaque tuum Saluatorem tuis peccatis oneratum, quæ in sua memoria præsentia

habebat.

habebat: quorū adeo vehementi dolore afficiebatur, vt nullus tuenti, nec in hac vita sit vnquam futurus illi par. Vt propterea optime illi conueniat illud Ieremias: *cattendite & videte, si est dolor, sicut dolor meus.*

INGENTIS eius doloris tria fuerunt indicia manifesta. *Primum* apparet ex ijs, quæ referunt Euangelista, cum dicunt, quod *d coeperit contristari, miseris esse, e pauere ac tedere, & esse in agnomia.* Aspiciebat enim hic Dominus super se peccata nostra: ex quibus, eod quod & horrida essent, totiesq; reperita, *tadio* afficiebatur; *pauere* vero, eod quod adeo essent fera, ac temeraria; *tristabat*, eod quod voluntati gloriaq; æterni sui patris aduersaretur; in *agnomia* etiã fuit, quã illi afferebat obligatio pro eis satisfaciendi, ne homines dãnarentur.

Ex quo *secundum* processit indicium, prodigiosus scilicet ille *sudor*, quo per omnes corporis poros sanguis erupit: vt cor, eius multitudine oppressum, subleuaretur: quo satis ostendebat eius anxietatem, & quã essent terribilia peccata, quæ eam afferebant.

Hic accedit *tertium* indicium. nam cum in superiori spiritus sui parte summo gaudio lætitiãque frueretur, ob clarã Dei visionem: hic nihilominus peccatorum aspectus sufficiens ei fuit, vt profundam adeo tristitiã agoniamque sentiret. vt ex hoc intelligeretur, quanta sit peccati fœditas: vt quæ sufficiat, quantumcumq; gaudium diluere in eo, qui sit alicuius pœnæ capax: etiamsi esset alioqui beatus. Quare hoc Saluatoris tui exemplum pro primario exemplari accipiens, altiùs res easdem considerabis, quas ille: cõtendendo tantum sensum habere, vt te prauæ tuæ vitæ plurimum *tadeat*; *pauere* vero, timeasque ad eandem redire; summè *tristeris*, quod in tantam deuenis miseriam; concipias etiam *agoniam* & anxietatem maximam, vt ex tanta miseria libereris: tantam in orando vim adhibens, vt præ anxietate *sudor* erumpat: donec impetres, quod à Deo petis; etiamsi ad obtinendam sanguinem fundere sit necesse.

TERTIO considera: quamuis ad nostram Redemptionem, *interni* Seruatoris nostri dolores suffecissent, eum tamen voluisse horrendos quoque dolores *externosque* cruciatus addere: magnasque *ignominias* & contemptus sustinere: vt tu exactius cognosceres grauissimam tuarum *culpã* & malitiam, & iniuriam; *pœnarum* vero terribilitatem, quarum propte reas factus es reus: vt sic vtraque fugias, *culpã* præcipue: summè dolens, quod illæ causã fuerint, cur tuus Saluator tot cruciatus sustineret. Eod respexit illa ipsius ad filias Ierusalem sententia: *gnoli es flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* quasi diceret, etiã meos hosce labores, & cruciatus deflere par sit; multo magis tamen vestra peccata, quæ illorum fuerunt causa, & incomparabiliter sunt peiora, ac digniora, quæ desiccantur: nullũ siquidem peccato & culpa grauius est malum, nec pœna maior inferno: quod de-

Thre. 1.12.

I.

Mat. 26.

Mar. 14. 33.

Luc. 22. 43

Agonia.

2.

Sudor.

3.

Christus esse beatus ob peccata dolere voluit.

Imitatio Christi

3. Functum.

Dolores Christi externi.

Luc. 23. 28

uenietis propter vestram in peccato obstinationem. *quis si in viridi ligno hoc faciunt: in arido quid fiet?* si aliena peccata horrendos ad eò cruciatus innocenti afferunt: quales afferent peccatori? Ex his quos ego patior, cognoscere licet eos, qui vos expectant: nisi de vestris peccatis pœnitentiam egeritis.

1.
in domo
Caipha.

HAC itaq; ad eò tremenda Saluatoris sententia per motus, eius labores perpende; tua peccata, quæ illorū fuerunt causa desse: Accede ad domū *Caipha*, & aspice à vili & abiecta turba circumdatū; quæ iniurijs illū afficiebat, & mille modis vexabat, quibus omnibus tu eundem peccatis tuis crucias & torques. Tu illū *conspis*, cū ex ore tuo horrida scædæque verba profers; tu eius oculos velas; immemor quod ipse te videat: & quasi te nō aspiciat, eū tractas; tu *colphis* eū cædis, cū opera mala facis; tu eius euellis *capillos*, cū tuis scædalis proximos tuos ab eo retrahis; tu *blasphemias* & iniurias in eū iacis, quādo tua causa, Dei nomē blasphematur, & iniurijs ab alijs afficitur. Qui ergo vicē eius doluisses, si vidisses hos cruciatus sustinentem: doleas nunc multò ampliùs, ob tuas culpas, quæ eorum fuerunt causa: petasque de eis veniam.

2.
in pratorio
Pilati.

HINC consideratione tua perge ad prætorium *Pilati*, vbi copiosam flendi materiam reperies ob ea, quæ tuus Saluator patitur: quorum tu causa fuisti: Ineptæ enim & peruersæ electiones tuæ *Barrabam* ei proponunt; cupiditates & inobedientiæ tuæ terga eius *flagellis* aperiunt; curiositas in tuis vestibus *purpura* illum ob illusionem induit; ambitiones tuæ *spinis* eum coronant; vanitates tuæ *arundinem* pro sceptro ei porrigunt; tuæ hypocrites tanquā fictum *Regem* eum tractant; & peccatorū tuorum multitudo contra eum clamat: *crucifige*: crucifige cū sit multò æquius, contra te ipsum clamare desse, desse; crucifige, crucifige te ipsum cū sit magis cōsentaneum, vt ipsemet peccator pœnam luat, qui culpam admisit.

3.
in monte
Caluarie.

PERGE denique mente & consideratione ad montem *Caluarium*, vbi adhuc maiorem multò de flendi materiam inuenies. Peccatorum enim tuorum pondus grauem illam *crucem* humeris eius imponit; voluptates tui gustus vinum illi cum *felle* & *myrrha* propinant; voluptates sensuum tuorum *nudo* existenti pudorem asserunt; mali tui gressus eius *pedes*, & prauæ tuæ opera *manus* configunt, amor tuus proprius lancea *latus* eius aperit, & quoniam tu gratiam eius destruxisti, perdidit ipse *vitam*: Et tu repetitis cupis *hirsutum* crucifigis tibi ipsi *Filium Dei*, i quem *conculcas*, sanguinemq; eius *pollutum* ducis. Cū igitur hæc Seruatoris nostri passio mutis, qui ei interfuerunt, magnam attulerit compunctionem, ita vt *k videntes quæ fiebant, percutientes pectora sua reuerirentur*: *A terra mota fuerit, petra scissa, & monumenta aperta*; æquum omnino est, vt & tu *tremas*, *pau easq;* diuinam iustitiam; tuumque eorum *contritione* frangas, & conscientia sepulchrum per *confessionē* aperias: vt corpora mortuorum, scilicet peccatorum, ex eo prodeant.

h Hebr. 6. 6.
Cap. 10. 29.

k Lu. 23. 48.
Mat. 27. 52.

Conside-